

tum hujusmodi a d. Capitulo Gen., sicut pramittitur, editum, auctoritate Apost. tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolib. intervenerint, supplemus.

§.4. Præterea in vocales Capituli Gen. d. Congregat. Ministrum Gen., Diffinitores Gen., Provinciales, & unum Socium pro unaquaque Provincia ipsius Congreg., qui una cum Provinciali veniens ferat vocem Provincie, & debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provincie, sicut per statutum, & Decretum supra expressum petitur, auctoritate, & tenore præfatis assignamus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes easd. præsentis lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. defini debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus præmissis, necnon fel. rec. Clementis VIII., quæ incipiunt, *Ad militantis Ecclesie regimen*: die 20. Augusti 1599., & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecess. nostrorum, quarum initium, *In supremo militantis Ecclesie solio*: die 14. Aug. 1613: respectively emanatis in simili forma Brevis literis, per quas conceditur, quod Ministri Conventuales habeant vocem in Capitulo Gen. d. Congreg. & aliis ordinationibus, & Constitutionibus Apost., ac ejusd. Congreg., illiusque Provinciarum, Domorum, & Conventuum quorumvis etiam juramento, &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§.7. Volumus autem, ut earumd. præsentium transumptis, manu &c. ead. prorsus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibite, vel ostensæ.

Dat. die 4. Febr. 1660. An. V.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Febr. 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXI.

Declaratio Brevis san. mem. Innocentii X. super modo recipiendi, & profitendi Novitios in Monasteriis Reformatis Congreg. del Tardon, Ord. S. Basilii Magni.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Alias pro parte dilecti filii Francisci a Jesu Procurat. Gen. Congregat., seu Provincie Reformatæ del Tardon nuncupatæ, Monachorum Ord. S. Basilii Magni in Hispania, Venerabil. FF. nostris S. R. E. Card. negotiis, & consult. Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod

felicitis rec. Clemens Papa VIII. Præd. noster per quasdam suas super Reformatione Monachorum d. Congr. die 23. Sep. 1603. expeditas in simili forma Brevis literas, quarum initium, *Altissimi dispositione &c.* quo vita communis, & Regularis observantia rectius, & strictius inter multos posset observari, voluerat, ut omnes Conventus, Congr. hujusmodi numerosam Monachorum multitudinem habere procurarent, nec in unoquoque Monasterio minor vigintiquatuor Monach. num. haberi posset.

§.1. Et quia tempore ejusdem S. Basilii paucissimi fuerant Sacerdotes, imo fere omnes laici extiterant, excepto Abbate, qui etiam aliquando laicus fuisse reperiebatur, & ita omnes communiter pallebant, quod ipse Clementis Præd. tempore propter majorem intelligendi Latinam, quam tunc Græcam linguam difficultatem, majoremque Officii Romani in Choro prolixitatem fieri non poterat, idem Clemens Præd. mediam, & suis temporibus convenientem viam sequutus, licet majorem, & principalem partem Monachorum ex laicis esse vellet, prout per eandem literas voluit, & ordinavit, sufficientes tamen Choriistas, & Sacerdotes ad Chori, & Divinorum Officiorum Ministeria haberi permiserat, ut ita alii aliorum opera adjuvarentur: quodque quia in dictis literis non fuerat statutum qualis esset numerus Sacerdotum, & Choristarum sufficienter ad prædicta, indeque aliæ disensiones inter Monachos laicos ex una parte, & Sacerdotes, & Choristas ex altera ortæ fuerant, rec. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Præd. noster per binas suas pariter in forma Brevis literas, ultimas quidem die 27. Apr. 1641. expeditas, quæ incipiunt: *Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, &c.* præceperat numerum Sacerdotum esse tantum quartam partem, tam in duobus Monasteriis erectis, quam in futurum erigendis; petentes vero habitum Religionis excludi absque voto Capituli Conventualis non posse. Et ut tolleretur controversia circa modum recipiendi, tam Sacerdotes, & Choristas, quam Laicos, mandaverat, quod omnes, qui vellent ingredi Religionem pro Laicis, si haberent requisita recipere, & ad proportionem Laicorum, recipere Sacerdotes pro quarta parte, ut scilicet si recepti fuissent tres Laici, reciperetur unus Sacerdos, vel Chorista.

§.2. Quodque cum Monachi Sacerdotes ad præ mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostrum pro majori numero Monachorum eorum status recurrissent, idem Innocentius Prædecess. per suas in simili forma Brevis die 14. Octobris 1746. expeditas literas, quarum initium: *Pastoralis officii &c.* assignato numero præfixo Monachorum pro quolibet Monasteriorum antiquorum S. Basilii del Tardon, & S. Antonii del Valle, voluerat eorundem Monachorum duas partes esse semper ex laicis, & tertiam partem respectively ex Sacerdotibus, & Choristis: interea tamen quam-

quandiu Sacerdotes, & Choristæ distam tertiam partem non implevisent, alternative ad professionem reciperentur, id est, unus Sacerdos, & Chorista, & alter Laicus, & sic successively: postquam vero dd. tertiam partem complevisent, nullus pro utroque statu reciperetur amplius, nisi illi tantummodo, qui desiderarentur, ut dictæ tres partes intra numerum pro quolibet Monasterio assignatum perseverarent, usque dum Monasteria reducerentur ad numerum nonaginta, & octoginta respectively. II. Si vero, qui ex dicto numero in hujusmodi Monasteriis tractu temporis deessent, indistincte reciperentur usque dum numerus præfixus pro Choristis, & Laicis completus esset.

§.3. Pro Monasteriis autem de novo fundandis Capitulum Provinciale assignaret numerum Monachorum, qui in quolibet eorum commode sustentari posset ad præscriptum Sac. Conc. Trident. sess. 25. de Regularibus, cap. 3. & quoad receptionem Novitiorum ordo prædictus in illis observaretur. Professiones vero in hujusmodi Provincia aliter factæ nullius roboris existerent, nullamque in sic professio obligationem inducerent, ac præmissa ab omnibus, quos illa concernerent, exacte, & sub pœnis contentis in prædictis Urbani Præd. literis die 27. Apr. 1641. expeditis observari mandaverat.

§.4. Et in eadem expositione subjuncto, quod in Monasteriis S. Mariæ del Buen successo del Retamal, & S. Michaelis de Brenna, Congr., seu Provincie hujusmodi postea fundatis, Provinciales, & Prælati ad usum deduxerant, ut in illis reciperetur, & professionem faceret unus Chorista, & unus Laicus, dicentes hoc modo esse intelligendas, & executioni esse demandandas prædictas Innocentii Præd. literas quousque Sacerdotes, & Choristæ adimplerent tertiam partem numeri præfixi pro quolibet Monasterio, & hoc modo professi essent, & profiterentur multi, quod clare, & manifeste apparebat contra disposita, & ordinata in dictis Innocen. Præd. literis disponentibus, ut duæ partes essent semper ex Laicis, & tertia pars respectively ex Sacerdotibus, & Choristis, quia alternativa de recipiendi ad professionem Choristam, & statim Laicum, fuerat solum ordinata pro duobus Monasteriis antiquioribus S. Basilii Eremi del Tardon, & S. Antonii del Valle, ad reducendum Monachos Laicos de tribus ex quatuor partibus, & augendum Sacerdotes, & Choristas de quarta parte, in qua erant, ad tertiam: quodque in prædd. duobus Monasteriis antiquioribus S. Basilii Eremi del Tardon, & S. Antonii del Valle tractu longi temporis in recipiendo unum Choristam, & unum Laicum evenerat numerum Monachorum Laicorum esse minorem duabus ex tribus partibus, & Superiores pro observantia prædd. Innocentii Prædecess. literarum requisiti hoc agere recusarent.

§.5. Ac propterea supplicato memorata Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

tis Card., ut declararent modum habendum in recipiendo, & ad professionem admittendo Novitios in dicta Congregat., tam in Monasteriis antiquioribus, quam in aliis deinde fundatis, & in posterum fundandis juxta legitimum, & verum sensum, & an recipi deberent in Monasteriis noviter fundatis, & in futurum fundandis unus Chorista, & statim unus Laicus, vel duo Laici, & unus Chorista a principio; utque mandarent observari prædd. literas Innocentii Prædecess. juxta lit. in suo vero, & legitimo sensu, & quod Superior, vel Monachus in aliquo contraveniens ipso facto incurreret pœnas inflictas a prædd. Urbano, & Innocentio Prædecess.: emanavit ab eorund. Card. Congreg. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.6. Sacra Congr. Eminentiss. S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & re Eino Carpineo referente mature discussa, censuit quoad numerum Monachorum in Monasteriis Congr. S. Basilii del Tardon servandas esse (prout servari sub infra scriptis pœnis mandat, & præcipit) præcitatam Bullam Sanct. mem. Innocentii X., necnon lit. in forma Brevis SSmi D. Nostri Alexandri PP. VII. & in recipiendis Novitiis, ac ad professionem admittendis hujusmodi ratio habeatur, ut nunquam in dd. Monasteriis extent ultra duas partes Monachorum ex laicis, & tertiam ex Sacerdotibus, seu Choristis, & d. numerum ullo unquam tempore, nullaque ex causa excedere possint, prædictaque locum habere, tam in Monasteriis jam erectis, quam in aliis quibuscumque, & quandoque de novo erigendis, sub excommunicationis S. Sedi Apost. reservate, ac privationis vocis activæ, & passivæ d. Congreg. Superioribus, & aliis quibuslibet ad quos spectat, aliter facientibus, vel fieri permittentibus, seu mandantibus, pœnis eo ipso incurrendis, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ die 16. Jan. 1660.

Innocentii X. bullam declaravit atque expovit S. P.

§.7. Cum autem sicut præd. Franciscus Procurator Gen. Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apost. confirmationis nostræ robore communiti summopere desideret. Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinfertum auctoritate Apost. tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præd. Congreg. Card.

Decretum irritans.

§.8. Decernentes easd. præsentis lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. defini debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.9. Non obstantibus præmissis, ac

consuetudinibus, & ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit Provinciae, seu Congreg. Reformate hujusmodi, ejusque Monasteriorum quorumvis &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides habenda.

§.10. Volumus autem, ut praesen. transumptis manu &c. eadem proxius fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Dat. die 16. Febr. 1660. An.V.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Febr. 1660. Pontificatus nostri anno V.

CCLXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ut electio Vicarii Generalis Congr. Hispaniarum, & Indiarum FF. Augustinianorum Discalceatorum fiat servata inter quatuor Provincias Congr. hujusmodi; itaut eveniente casu, quo Vocales Indiarum Capitulo tempore adesse non valeant tunc unus Frater Provinciae subsequens in ordine in Vicarium eligi debeat.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae Catholicae regimini auctore Deo praesidentes, ad ea, per quae felici Congregationum virorum leve Christi jugum sub arctioris vitae regula trahentium directioni, & gubernio consulitur, propensis studiis intendimus, illaque libenter cum a Nobis petitur Apostolici muniminis praesidio constabilimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Supplicatio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Congregationis Hispaniae, & Indiarum FF. Discalceatorum nuncupatorum Ord. Eremitarum S. Augustini, quod in ejusdem Congregationis Capitulo Gen. novissime in Oppido Civitate nuncupato de Calayud in Aragonia celebrato determinatum fuit pro majori quiete electionis Vicarii Gen. dicte Congreg. hujusmodi, servata inter B.M.V. in Columna Aragoniae, & S. Augustini Castellae novae, & veteris, necnon S. Thomae de Villanova Bethicae superioris, & inferioris, ac S. Nicolai Tolentinatis respective nuncupatas Insularum Philippinarum in Indiis Provincias Congregationis praefatae alternativa, sicut in Congregatione Italiae FF. Discalceatorum ejusdem Ord. observatur, incipiendo a memorata Provincia Aragoniae, fieri debere; itaut eveniente casu, quo Vocales Indiarum Capitulo pro tempore celebrando tempore adesse non valeant, tunc unus Fratrum Provinciae subsequens juxta ordinem supra expressum in Vicarium Generalem primodictae Congregationis eligi debeat. Quare dictus Procurator Gen. dilectorum filiorum FF. Provinciarum praedictarum nomine Nobis hu-

militer supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Procuratorem Generalem, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati praenarratam alternativam electionum Vicarii Generalis Congregationis hujusmodi, tanquam Religiosorum tranquillitati, & bono regimini memoratarum Provinciarum proficuum, & consentaneam modo, & forma supra expressis, quatenus (ut asseritur, in Capitulo Generali novissime celebrato legitime fuerit obtemperata, auctoritate tenore praesentium approbamus, & confirmamus, ac juxta praefati Capituli decretum desuper emanatum fieri, & observari circa eandem alternativam mandamus, & praecipimus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si fecus &c. contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Hispaniae, & Indiarum ejusque Provinciarum hujusmodi, & aliis quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Febr. 1660. An.V.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die 21. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio quorundam Decretorum Capituli Provincialis Prov. S. Joannis tertii Ord. S. Francisci in Gallia, per quae providetur diversis casibus per statuta generalia omittis in casu mortis Provincialis, & vacationis officiorum Definitorum, actualium d. Provinciae, nempe, ut alii certa forma subrogentur.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Prov. S. Ivois in Gallia Tertii Ord. Sancti Francisci, quod ipsi in eorum Capitulo Provinciali congregati ad evitanda gravia continuorum tam ad hanc Sanctam Sedem, quam ad dilectum filium Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in occurrentibus casibus, quibus per statuta generalia primodicti Ord. provisum non est, recursuum inconvenientia, nonnulla Decreta, semel iterumque consentiente eodem Ministro Generali, unanimiter ediderunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

Si

Si Provinciale Ministerium in officio mori contigerit, Guardianus loci, ubi obierit, & Secretarius defuncti, scripturas quasque ad Provinciam, & negotia quovis modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus Provinciae, & loci Sigillis benemunitas ad Provinciale novissime absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Provincialatus, vel Provinciae Vicariatus, vel utriusque defectu, qui Definitoriatus officio functus fuerit una cum sigillis Prov. deferant, & assignent; Praedicta vero, ubi Provincialis absolutus, aut unus ex supradictis juxta praescriptum ordinem acceperit, is absque mora convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum ipse cum Definitoribus, tam actualibus, quam qui olim facere habebit; passivum vero omnes, quos ad Provincialatum habere statuta decernunt: Quod si Minister Generalis intra tres dies consistat, consulendus est, & ejus responso expectanda, si tamen longius abest, eo inconsulto fiat electio: In Capitulo autem Provinciali proxime sequenti, si biennio integro, seu in duobus Definitoris consecutivis Provinciae Vicariatu functus fuerit, ad Provincialatum minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti Exprovincialatus jure gaudeat.

Si quis Definitor actualis moriatur, si ve alia ratione vacaverit, ejus loco subrogetur, & pro subrogato habeatur, ipso facto, qui antiquior in Religione Provincialatus, vel Vicariatus Provincialis, & iis deficientibus Definitoriatus munere alias functi sunt, si vero tales defuerint, subrogentur Guardiani actuales in Religione antiquiores, subrogatus autem ultimum locum in consensu habeat inter reliquos Definitores, & in Capitulo Provinciae proxime sequenti ad hujusmodi Definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extitit, seu duobus Definitoriis adfuerit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, d. Exponentes Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & observatione apostolica confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui praesentia Decreta attente, ac mature discusserunt, & examinarunt, consilio, eadem Decreta, tanquam Provinciae praefatae bono regimini consentanea, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac proinde juxta eorum formam, & tenorem in casibus expressis, perpetuis futuris temporibus in eadem Pro-

Praefat. Pontifex.

vincia observari mandamus, & praecipimus.

Praesentes literas confirmat.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si fecus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, primodicti Ordinis, & Provinciae, aliisque quibusvis &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Febr. 1660. An.V.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 26. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Absolutio, & dispensatio super minus canonica Consecratione impensa, & respective suscepta ab Episcopis Civitatum, Assumptionis, & Tucumanen. in Indiis Occidentalibus.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Alias pro parte Ven. Fratris Episcopi Civitatis Assumptionis in Indiis Occidentalibus Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum exposito, quod ipse Episcopus possessionem Ecclesiae Civitatis Assumptionis hujusmodi apprehendisset, & se a Ven. etiam Fratre Episc. Tucumanen. consecrari curasset, non praesentatis Literis Apostolicis provisionis, & praesentationis suae in Episcopum ejusdem Ecclesiae, quae tamen revera concessa prius, & expedite fuerant, deque ipsa concessione, & expeditione praevius quibusdam informationibus aliquantulum constabat; Quodque consecratio hujusmodi ab unico praedicto Episcopo Tucumanen. assistentibus duobus de Capitulo Canonicis peracta fuisset, non exhibitio Apost. dispensationis indulto, quod tamen re ipsa pridem concessum fuerat, & sub aliqui hujus concessionis notitia, aut saltem praesumptione (quia scilicet Sedes Apostolica solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indiis) praenarrata consecratio facta fuerat: Ac quaesito primo. An praedicta possessio non praesentatis Literis Apostolicis apprehensa fuerit legitima? Secundo. An praenarrata consecratio, ut supra peracta fuerit valida? Praefata Cardinalium Congreg. die quidem prima Septembris 1657, respondit ad primum, non fuisse legitimam. Ad secundum vero eadem Congregatio die 15. Decembris d. anni, re mature discussa, secundum ea, quae proponebantur, respondit supradictam Consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris

stetis fuisse validam; Quantum vero spectat ad licitam executionem Ord., fuisse irritam, & inanem, & Episcopum ita consecratum, ac respective consecratem, indigere absolutione, & dispensatione.

§.2. Quare pro parte eorundem Civitatis Assumptionis, & Tucumanen. Episcoporum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum statui, opportune in premissis providere de benign. apost. dignemur.

Supradicti Episcopi a censuris absolvantur.

§.3. Nos igitur specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ipsos Civitatis Assumptionis, & Tucumanen. Episcopos, & eorum singulos a censuris, & poenis ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut premititur, peracta quoquo modo respective incurris, & quas ipsi incurrisse dici, censeri, preteriti, vel intelligi possent, auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus, & plenarie liberamus: Ac cum eisdem Episcopis, & eorum singulis super irregularitate per eos premissorum occasione quomodolibet contracta, ita, quod illa, & eisdem premissis non obstant, dummodo nullum aliud Canonicum eis respective obstet impedimentum clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegii uti, ac in susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, necnon Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, Episcopaliaque munia obire, exequi, & exercere libere, & licite possint, & valeant auctoritate, & tenore predictis dispensamus.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus premissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenitentia per Episcopos adimpleri mandatur.

§.5. Volumus autem, ut d. Episcopi poenitentiam, quam eis respective Sacerdos idoneus propter premissa imposuerit, omnino adimpleant, alioquin presentes quoad absolutionem, eis in foro conscientie nullatenus suffragentur.

Dat. die 27. Feb. 1660. An. V.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Pisc. die 27. Februarii 1660, Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXXV.

Ex Regest. in Secret. Regni.

Aggregatio Monasteriorum S. Viti de Urbe Clare Vallis de Castagnola Senogallien., Casae Marii Verulan., Fosse novae Terracinen., de Ferraria Thean., Regalis Vallis Nolan., ac Casae novae Aprutii Pennen., seu nullius respective Diocesis, & eorum Religiosorum Congreg. Romanae Cisterciens., cum Congreg. Italiae Provinciae Tusciae eiusdem Religionis sub directione, & gubernio Patrum Regiminiis nunc, & pro tempore existen-

d. Provinciae Tusciae, cum diversis partibus, & conditionibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii humilitati nostrae divinitus crediti ratio postulat, ut paternam Christifidelium sub sua Religione iugo Altissimi obsequii mancipiorum curam gerentes, ea libenter concedamus, quae felici prosperoque illorum regimini, & gubernio conducibilia fore in Domino arbitramur.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vincentius Burellus Abbas Praefes Congregat. Romanae, & Ferdinandus Ughellus Abbas Monaster. SS. Vincentii, & Anastasi ad tres Fontes Procurator Congr. Italiae, & Provinciae Tusciae Monachorum Ord. Cisterciens., quod idem Vincentius Praefes, ceterique Superiores d. Congreg. Romanae una cum Superioribus Congr. Italiae Provinciae Tusciae Ordinis huiusmodi, pravia matura deliberatione tractatum inter se habuerunt, ut quaedam Monasteria, videlicet S. Viti de Urbe, Clare Vallis de Castagnola Senogallien., Casae Marii Verulan., Fosse novae Terracinen., de Ferraria Thean., Regalis Vallis Nolan., ac Casae Novae Aprutii nuncupat. Pennen., seu nullius respective Diocesis, atque eorum Religiosi unirentur & aggregarentur praedictae Congregationi Italiae sub directione, & gubernio Patrum regiminiis nunc, & pro tempore existentium memoratae Provinciae Tusciae, ad hoc, ut in eisdem Monasteriis magis conservetur, & incrementum accipiat divinus cultus, & monastica disciplina, sine tamen praedictis contributionum Capitulo Generali debitum.

Supplicatio.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subijungebat d. Exponentes unionem huiusmodi a Nobis fieri plurimum desiderent, sub conditionibus tamen, & pactis infra scriptis, videlicet: Quod Superiores Praelati ad praesens existentes in Monasteriis, quae unienda, & congreganda venerint Congregationi Italiae sub Provincia Tusciae maneat Superiores Praelati eorundem, respective Monasteriorum usque ad proximum Capitulum in Congregatione celebrandum juxta normam, & dispositionem Constitutionum ipsius Congregationis Cisterciens. Italiae, gratis, privilegii, gaudeant; isdem, & cum isdem honoribus, & oneribus, quibus gaudent ceteri Abbates eiusdem Congreg., nomine autem Abbatis minime gaudent, nisi in suis respective Monasteriis degant actualiter saltem, sex Monachi; Quod quotiescumque ex ipsis Monasteriis unientis aliquam Praelaturam vacare contigerit habeatur ratio per Patres Regiminiis juxta debitam justitiam distributivam, ut eligatur ex isdem Religiosis, qui aggregandi venerint, dummodo reperiantur habiles, habeantque cetera requisita ad normam Constitutionum Congregationis Italiae, alias eligantur ad arbitrium Patrum Regiminiis. Ex eo quoque, quod Monasteria, quae aggreganda veniunt, distent a Monasteriis, in quibus Capitulum celebrari solet, ideo Praelati Monasteriorum S. Viti de Urbe, ac Clare Vallis in Castagnola tamquam proximiores cum suis respective Discretis eligendis ad normam Constitutionum semper ad praedicta Capitula accedere teneantur; ceteri vero Praelati, videlicet Fosse Novae, Casae Marii, de Ferraria, Casae Novae, ac Regalis Vallis teneantur per sex menses ante celebrationem Capituli docere Patres Regiminiis ex redditibus Monasteriorum tantum superesse, ut commode, & sine ullo detrimento eorum Monasteriorum se cum suis respective Discretis eligendis, ut supra, ad praedictum Capitulum accedere, & ab ipso recedere, necnon taxam ipsius Capituli celebrandi solvere valeant, ac possint, super quod decretum a Patribus regiminiis obtinere debebunt, ad effectum, ut tamquam Capitulares admitti possint. Quod Pater Praefes, ac Visitatores praedicta Monasteria unienda per se ipsos, sicuti alia Monasteria Congregationis visitare teneantur. Quod tot nationales Monasteriorum unientorum ad habitum Religionis admittantur, quot ex redditibus ipsorum sustentari queant, approbandi tamen, & admittendi ad habitum Religionis suscipiendum per Patres Regiminiis. Ex eo quod Monasterium S. Viti, & ipsius redditus instituta sint pro Collegio, & educatione Juvenum Monasteriorum praed. pro navando operam studiis, ideo ad talem effectum conservetur, imo potius Patres Regiminiis curabunt augeri redditus, ut si fieri possit constituantur formale Collegium totius Congreg. Et quia saepe saepius contingit, ut Superiores, sive Religiosi Monasteriorum Fosse Novae, Casae Marii, & aliorum in Regno Neapolitano existentium pro negotiis eorundem Monasteriorum motam non patientibus ad Urbem accedere debeant, ideo Patres Regiminiis possint delegare facultatem Abbatum trium Fontium, sive Abbati S. Viti, prout eis melius visum fuerit concedendi licentiam ad Urbem accedendi, salva tamen in huiusmodi licentia concedendis dispositione Constitutionum. Quod pro expensis publicis faciendis ad bonum commune, & universale Congreg. Monasteria aggreganda concurrere debeant, taxanda per Patres Regiminiis, sive Patres Definidores, habita ratione facultatum eorum. Quod Monasteria praedicta aggreganda debitas contributiones Capitulo Gen. sive Patri Gen., aut Procurat. Gen. legitimum, & speciale mandatum procura habenti solvere teneantur. Quod saltem unus Abbas ex praedictis Monasteriis unientis (cessante legitimo impedimento, cum sufficiente Patrum Regiminiis ad Capit. Generale in Gallia adire teneatur).

Sequitur Expositio.

§.3. Nobis propterea ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in premissis opportune providere, & ut infra, in-

gulgere de benignitate apost. dignemur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione nonnullorum dilectorum filiorum Rom. Cur. Praelat., quibus hoc negotium commissimus examinandum, superscripta Monasteria, & eorum Religiosos Congr. Rom. Cisterciens. cum Congr. Italiae Provinciae Tusciae, cum conditionibus, & pactis supra exaratis, auctoritate apost. tenore presentium perpetuo unimus, & aggregamus.

Exponentes a censuris absolventur.

§.4. Decernentes easdem presentes literas semper firmas &c. Sique in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos &c. definiti debere, ac irriti, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Clausulas necessarias apponit.

§.5. Non obstant. premissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost., necnon quatenus opus sit praedictarum Ordinis, & Congreg. ac Prov., & Monasteriorum huiusmodi, aliisque quibusvis &c. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Dat. Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Dat. die 5. Mart. 1660. An. V.

CCLXXXVI.

Revocat omnes contractus, qui contrariantur paupertati, & bono regimini Ordinis Cisterciens.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Gen. Ord. Cisterciens., quod licet omnes Monachi d. Ord., tam stricte ad observantiam paupertatis teneantur, ut Capitulum Gen. ejusd. Ord. an. 1605. celebratum revocaverit omnes, & quascumque licentias, & dispensationes quascumque privati rerum, & bonorum usus, proprietatis, possessionis, & domini per quoscumque Superiores d. Ord. ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ord. Capit. Gen. an. 1651. renovaverit cum injunctioe observationis exactae Decreti Concilii Trid. sess. 25. cap. 2. de Regularibus, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae opponentibus sese huic executioni, & observantiae, & inhabilitatis ad quavis officia, gradus, & dignitates, ac insuper contractus a quibusd. Abbatibus Regularibus cum suis Monachis initos pro separatione mensae Conventualis ab Abbatiali censuerit esse rescindendos tanquam paupertati Religiosae contrarios, eosque in posterum a quoquam attentari prohibuerit, nullusque sit in Regno Galliae praed. Ord. professor, qui in suo Novitiatu ad vitam communem, & praed. paupertatis observantiam non fuerit instructus, educatus, & obligatus.

Exordium.

Ni-

§.1. Nihilominus nonnulli Religiosi ejusd. Ord. in Gallia dd. Abstinentes, seu strictioris observantiae, sub praetextu introducendi in Monasteria abstinentiam a carnibus, quarum usus certis diebus a Sede Apost. concessus est, certos ineunt contractus, transactiones, & concordata cum antiquis Ord. hujusmodi Religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis, & fructibus promittunt, & distribuunt, eosque a majori, & praecipuo onere Chori, aliisque observantiis, ad quas ex professione tenentur, liberantes evidenti relaxationis, & perditionis periculo exponunt, dummodo eis solis privative quoad alios Monasteriorum administrationem, & regimen tam in spiritualibus, quam in temporalibus, liberamque Officialium, & Superiorum electionem, tam quoad vocem activam, quam passivam cedant.

§.2. Cum autem, sicut ead. expositio subjungebat, contractus, transactiones, & concordata hujusmodi, non in aedificationem, sed in evidentem praesentium Religiosorum ruinam spirituales vergant, dictusque Procurator Gen. propterea de opportuno in praemissis remedio a Nobis provideri summo desiderio. Nos ipsum Procuratorem Gen. specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, & absolutionis, & absolutum fore censentes.

§.3. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regul. praepositorum, qui rem diligenter, & mature discusserunt consilio, attentis narratis, contractus, transactiones, & concordata, de quibus supra agitur, fuisse, & esse illicita, ideoque hucusque inita nulla, & invalida fuisse, auctoritate Apost. tenore praesentium declaramus, & decernimus; prohibemusque, ne in futurum sub ejusd. nullitatis, & invaliditatis, necnon sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae, officiorumque, graduum, & dignitatum quarumcumque, & perpetuae inhabilitatis ad ea, & quaelibet alia in posterum obtinenda per hujusmodi contrahentes, transigentes, & concordantes eo ipso incurrendis poenis, talia concordata, transactiones, & contractus ullatenus celebrentur.

§.4. Decernentes pariter easd. praesentes lit. semper firmas, &c. inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices &c. definiti debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. necnon quatenus opus sit, d. Ord., ejusque Monasteriorum quorumvis etiam juramento, &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. ad praemiss. effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumd. praesentium transumptis manu &c. ead. professus fides in judicio, & extra adhibeatur; quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCLXXVII.

Confirmat Decreta noviter edita, pro regularis disciplinae instauratione in Religione Min. Convent. S. Francisci,

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili divinae Sapientiae arcano in Sacra Principis Apostolorum Cathedra, meritis licet imparibus, collocati, illis quae pro felici religiosorum Ord. in Ecclesia Dei pie, sancteque plantatorum, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagentium directione, & gubernio provide dignoscuntur emanasse, libenter cum a Nobis petitur, Apost. munimnis adjungimus firmitatem.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilect. filius Ludovicus de Vatesio Procurator Gen. Ord. FF. Min. S. Francisci Conventualium nuncupat., quod alias a Definitore gen. ejusd. Ord., ad necessarium regularis disciplinae praesidium, & incrementum, edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet:

Generale Definitorium Romae congregatum an. 1659. Praesidente Rmo P. Magistro Jacobo Fabretto de Ravenna Ministro Gen., cupiens eid. Ministro adjutricem dare manum pro instauratione Regularis disciplinae Ord., non ab observantia Urbanarum Constitut. declinare, sed ejusd. observantiae indemnitati consulere arbitrat, dum dubia aliquot contingentia enodare, & nonnulla, quae temporis minus adaptata comperta sunt, modificare (ablegatis, quae in contrarium inoleverunt corruptelis) opportunum censuit idcirco sequentes declarationes, sanctionesque subtexere, & SSmo exhibere decrevit, ut Apost. confirmationis robore implorato, insertas eas dd. Urbanarum Constit. volumini habeamus, veluti totius operis coronidem.

Primo igitur districte injungitur cuilibet Provinciae Definitorio, ut in proximo futuro Capitulo requisita examinare non negligat Magistrorum suorum ad Lauream promotorum ab ultimo Capit. Gen. ad haec usque tempora; soli vero admittantur per secreta suffragia, qui ad praescriptum Urb. Constit. instituti probabuntur; arceantur vero in fraudem promoti, & absque expressa Sedis Apost. facultate.

Teneatur etiam idem Definitorium in proxima Congreg. Provinciali requisita itidem examinare cujuslibet Definitoris perpetui meritorum titulo instituti post Capitulum

Transumptum fides.

Dat. die 8. Martii 1660. An. V.

Exordium.

Supplicatio.

Contractus suprad. dicitur vocat, atque condemnat.

Clausula apponuntur necessaria.

Contraria tollit.

titulum Gen. praefatum, & hi solum approbentur secretis suffragiis, de quorum meritis legitime constiterit, ad tenorem dictarum Constitut., ceteris exclusis, quavis possessione non obstant, & omni meritorum equiparantia explosa, excepta leatura trienniali supra cursum duod. annorum in supplementum indulgentiam fore decernimus Regentibus studiorum, quibus non contigit sortiri munus Regentiale in aliquo Religiosis Collegio.

In posterum etiam idem Definitorium cujusvis Provinciae Vocalium, Magistrorum, & Definitorum suorum, quos absque expressa Sedis Apost. facultate noviter institui contigerit, requisita ut supra, recognoscere, & examinare teneatur in primo Capitulo Provinc., & Capitulari Congreg. post eorum institutionem, & illi dumtaxat admittantur d. votum electivum qui per secreta suffragia ab eod. Defin. approbati fuerint, tanquam canonicè instituti.

Prerogativas minores, quibus consueverunt Ministri Gen. FF. simplicium aliquos declarare graduatos, annuimus concedendas esse iisd. FF., non solum ob Magistrorum Novitiorum, ob meritum operum Musicalium, ad tenorem Constitutionum, verum etiam ob missiones, ob conspicuas conciones, ob curam animarum, ob munus confessarii, ob leaturam Seminariorum, & hujus ponderis similia onera spatio duodecim saltem annorum laudabiliter peracta, & hoc ad alliciendum praemio eorum animos, qui plerumque fastidiunt talium functionum subire labores.

Verum Provinciae paternitatem ex merito decernitur indulgentiam esse solis Sacrae Theologiae Magistris, non tamen solo titulo laborum in exercitio leaturarum ad praescriptum Constitutionum, verum etiam titulo Concionum, dummodo quindecim annor. curriculo munus hujusmodi obierint in insignioribus Ecclesiis, super quibus interveniat testimonium Definitorii per secreta suffragia exprimentum, non vero per solas subscriptiones, cum aliquando exortas potius quam impetratas esse non ignoremus.

Cum vero in orbe Religionis praecellere etiam censentur praestantes vitae sanctimoniam, vel regiminis experimento, nostra interesse arbitramur, hos etiam ad Provinciarum paternitatem promoveri, quippe qui enitentur, non privato, sed publico velle commodo, non suae, sed Religionis ancillari gloriae: exoratur itaque Sanctitas Sua, ut (abrogata lege posterius lata) jubeat horum etiam habendam esse rationem in distributione quatuor Provincialatum Titularium ad pristinam formam Constitutionum Urbanarum.

Porro ad compescendum omnem hujusmodi Praelaturae, & cujuscumque etiam alterius dignitatis consequenda in Religione ambitum, eorum maxime quos ad Principum favores confugere non putent pro consequitione illarum, praeter poenas in Constitutione 116. Pauli V. fel. rec. comminatas, hoc similia implorantes suffragia poenam etiam excommunicationis latae sententiae Sanctissimo reservatae, ipso facto incurrere, subireque decernimus.

tas, hoc similia implorantes suffragia poenam etiam excommunicationis latae sententiae Sanctissimo reservatae, ipso facto incurrere, subireque decernimus.

Ne de cetero in Provinciae Definitorum excessivus sit numerus, statuitur, ut in Provinciae primae classis sint tantum decem, & octo Definitores perpetui, secundae classis duodecim, tertiae classis novem, quarta classis sex: declaramus tamen PP. Provinciae naturales nunquam a Definitorio expungendos esse, etiamsi plures numero sint; si vero Definitorum naturalium minor praescripto sit numerus, ex reliquis Definitoribus ob meritum instituti suppleatur iuxta eorum antianitatem usque ad praescripti normam calculi, si qui supersint eorundem Definitorum ex merito excedentes numerum praefixum, nomen utique Definitoris retineant, praecedantque simplices Sacrae Theologiae Magistros, non vero suffragia ferant in electionibus, nisi postquam eos ordine supradicto contigerit subrogari in locum demortui.

Cum etiam hinc temporibus excessivum experiamur numerum Collegialium laureandorum, decernitur, ut in posterum in Collegiis Assisientis, Patavino, Bononiensi, & Neapolitano (reliquis in pristino statu permanentibus) numerus ad duodenarium reducatur, quorum sex tantum antiquiores in fine Collegii sortiantur Baccalaurei ad Collegium promovendi, vocatis singulis trien. pro quolibet Collegio duodecim tantum, ex quibus sex peritiores seligendi sunt.

Ad crebras perturbationes eliminandas ob praecedentes controversias, declaramus inter privatos ubique primum locum debere Patribus officio Generalatus, vel Vicarii Apostolici functis, qui uni tantum Superiori (scilicet digniori, si plures adsint) actu praesenti in Conventu, vel Civitate locum cedere tenentur; secundum locum, post Superiores actu debere iis, qui fuerunt Gen. Ord. Procuratores in Rom. Cur.; tertium locum Provincialibus, & Assistentibus Ord. officio absolutis; quartum Patribus Provinciae ex merito institutis, quibus cedere etiam teneantur, si qui urgentiori aliqua ratione, gratioso Decreto ad paternitatem eam habilitarentur; quintum Sacrae Theologiae Magistris; sextum Baccalaureis Collegialibus, si quos aliqua impotentia contingeret non promoveri ad Magistrum, ceteris non Collegialibus Baccalaureis ab hac prerogativa subductis, septimum Patribus simplicibus graduatis, scilicet patentibus literis a Generali ob meritum decoratis; octavum ceteris non graduatis, salvo in quolibet gradu ordine antianitatis ad formam Urbanarum Constit.

Declaratur demum Decretum Urbanae Constitut. de non admittendo ad probationem, vel professionem ante aggregationem, ita esse intelligendum, ut nullus deinceps Novitius ad probationem admittatur, nisi de pravia aggreg. legitime constiterit. Quoniam vero optima rationis urgentia

Sequitur motiva.

Sacra Congreg. Universalis Inquisitionis aliqualem meritum equiparantiam inire nos edocuit, ut praedictum Definitoriale munus in praemium vertatur pari passu Insignioribus Ministris S. Officii, idcirco in promotione ad Paternitatem Provinciae Consultores Inquisitionis in Cur. Rom. Assistentibus Ordinis equiparandos esse decernimus; Vicarios Gen. ( dummodo Sacrae Theologiae Magistri sint ) Regentibus Gymnasiorum: Consultores itaque ad instar Assistentium, naturalem Paternitatem Provinciae, sui muneris ratione nanciscantur; Inquisitores vero ( si Patres Provinciae ex merito instituti fuerint antequam onus Inquisitionis fortiantur ) naturalem pariter Paternit. novi oneris exercitio consequantur; si vero prius Patres non extabant, ad Paternitatem tantum ex merito, ad instar Regentium, ut praefertur, promoveantur; ut autem praemia non contingant praecocia, quae virtutis incrementa morantur, d. Paternitatem non fortiantur praefati Ministri, nisi proportionata methodo cum Regentibus, Concionatoribusque Religionis, nempe Consultor in Curia post sextum, Inquisitores post duodecimum, Vicarii dicti post decimum quintum sui oneris expleto annum: si autem contingeret horum Ministrorum aliquos duplici Ministerio, intermedio tempore, functos esse, scilicet Regentis in Religione, & Inquisitoris, vel Vicarii in S. Officio, tunc promiscue calculus annorum computetur ab utriusque muneris functione, itaut defectus scripti temporis in primo Ministerio suppleatur ex secundo.

Ministri vero inferiores S. Officii ab ipsismet Inquisitoribus deputati, equiparentur tantum Magistris Seminariorum, & Patribus simplicibus graduatis, ut promoveri possint post duodecimum sui oneris annum ad votum electivum in Capitulis Provincialibus, pro electione Ministri Provincialis ferendum.

Si quis vero horum Ministrorum Baccalaureus sit, studiiisque Scholasticae addictus, & in concursu, & examine pro promovendis ad Collegia idoneus repertus fuerit, alicui Collegio Religionis adscribatur, dispensetur autem a residentia Collegii toto tempore, quo iustus fuerit suam alibi navare operam in obsequium S. Officii; claspso autem triennio, pari jure, & methodo cum aliis ejusdem Collegii Concollegialibus Lauream Magisterii consequi valeat.

Nullus demum praefatorum Ministrorum ad eas promoveatur praerogativas in retributionis vicem, nisi prius per literas commendativas, & patentes de Sac. Congregationis licentia obtentas, sui Ministerii laudabiliter functi merita probaverit.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praefatus Ludovicus Procurator Generalis Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & inviolabili observatione, apostolica confirmationis nostrae patrocinio roborari plurimum desideret; Nos ipsum Ludovicum Procuratorem Gen. spe-

cialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta praeferta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. in violabiliter observari; Siquae in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, d. Ord., ejusque Provincialium, & Conventuum quorumvis, & aliis quibuslibet &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium transumptis, manu &c. eadem prorsus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCL XX XVIII.

Quod in causa Fabricae Genueus Collegii Societatis Jesu, & FF. Min. de Observantia Nunciatae, Presbyteri Societatis non possint impediri quominus coeptam Ecclesiam perficere possint.

ALEXANDER PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Regulares Collegii Genueus Societatis Jesu, quod in causa fabricae inter ipsos Exponentes ex una, & dilectos pariter filios Fratres Conventus Genueus Ord. FF. Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum ex altera partibus vertente, alias, videlicet die 23. Augusti 1652. Congreg. tunc existentium S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, partibus pluries auditis, juribusque hinc inde deductis mature perpensis, censuit revocandam esse prohibitionem, omneque prorsus removendum impedimentum, prout per suum Decretum eadem die emanatum revocavit, & removit praedictis Exponentibus, quominus coeptam d. Collegii Genueus Ecclesiae structuram prosequi, & perficere possent; dummodo in angulo ejusdem Ecclesiae Orientem versus, & e regione fenestrae magna

Decreta praeferta confirmata.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

Transumptum fides.

Dat. die 8. Mar. 1660. An. V.

Expositio.

gnae ambulacri infirmariae FF. Min. praedd. proprium murum ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutum, etiam stitlicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorundem FF. Min. inducere nequirent, & ita observari mandavit, contrariis quibuscumque non obstant.

§.1. Et subinde cum in Signatura Graetiae sel. rec. Innoc. PP. X. Praedeceff. nostro deductae fuissent novae instantie dd. FF. Min. super fabrica novae Eccl. Collegii supra dicti, idem Innoc. Praedeceff. negotium hujusmodi ad praedictam Cardinalium Congregationem remisit, ut desuper aliquem ex Auditoribus causarum Palatii Apost. deputaret, quae Cardinalium Congregatio eam rem demandavit tunc existenti eorundem Auditorum Decano, ut ille, vel alius, qui ipsi Decano videretur ex dd. Auditoribus, in causa hujusmodi procederet.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, & subsequenter ambe partes ad Auditorio Rotae Rom. inhibitionem informae expediri curaverit, causaque diu si fuerit; Nos vero succelsive, praedictis omnibus narratis, & bene cogitis causam, & partes praedictas ad memoratam Cardinalium Congreg. remisimus, ut eademmet negotium expediret, & super expeditione perpetuum silentium imponeret; Et subinde praedictis Fratribus Minoribus coram dilecto filio nostro Marco Antonio tit. Sanctae Mariae de Pace S. R. E. Antonio Cardinale Franciotto nuncupato, ejusdem causae Ponente, ac coram dilecto filio Secret. d. Congreg., ipsaque Congreg., pluries citatis, necnon in contradictorio auditis, pluribusque dilationibus concessis, & denique facta oppositione per dd. FF. Min. mediantibus praecibus Nobis porrectis, ut denovo causa ad Auditorium Rotae praed., vel Signaturam nostram remitteretur, Nos per d. Cardinalium Congreg. procedi mandamus: Cumque exhibita fuerint ex utraque parte jura, & scripturae, distincte Exponentes, ut tandem huic controversiae finis imponatur, opportune a Nobis in praemissis provideri plurimum desideret.

§.3. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praed. Congreg. Ven. FF. nostrorum ejusdem S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, quae partibus pluries citatis, auditis, & informantibus rem exacte, & mature discussit, ac in Decretis sub die 23. Augusti 1652. standum esse censuit, consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus prohibitionem, omneque prorsus removemus impedimentum praed. Presbyteri Societ. Jesu, quominus coeptam Collegii Genueus Ecclesiae structuram prosequi, ac perficere possint, dummodo in angulo ejusdem Ecclesiae Orientem versus, e regione fenestrae magna ambulacri infirmariae dd. FF. Min. de Observantia, proprium murum dd. Presbyterorum Societ. Jesu, ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutum, etiam stitlicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorundem FF. Min. inducere nequeant. Ac dd. FF. Min. super negotio fabricae praed., & omnibus praemissis perpetuum silentium auctoritate, & tenore praedictis imponimus, atque ita servari mandamus: salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. plenissime suffragari; Siquae in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Conventus, & Ord. praed., aliisque quibusvis &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 12. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCL XXXIX.

Statuit celebrationem Capitulorum Generalium Congreg. Camalduleni. Ord. Sancti Benedicti de cetero faciendam esse de quinquennio in quinquennium &c.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidentes, ad ea libenter intendimus, per quae Congregationum virorum leve Christi jugum sub laudabili vitae monasticae instituto trahentium utilitati opportune consultum iri in Domino arbitramur.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii, Abbas Gen., ac Visitatores, necnon Procurator Gen., & Definitor Congregationis Camalduleni. Monachorum Ord. S. Benedicti, quod eadem Congregatio felici quidem in dies per Dei gratiam in spiritualibus augetur incremento sed magnam in temporalibus patitur diminutionem, illiusque Monasteria ob malam temporum conditionem, & nunc praesertim propter vilitatem praetii granorum, & aliorum bladorum, in quibus praecipue ipsorum Monasteriorum redditus consistunt, difficultatemque illa vendendi necessitate extrema praemuntur; itaut familias alere, onera incumbentia supportare, ac Ecclesias, ut decet, tueri vix possint. Qua temporalis status declinatione considerata Superioris d. Congreg. ei quidem rei consulere conati sunt, renovatis libris aestimorum, repartitis melius oneribus;

Decretum confirmat.

Decretum irritans.

Contrariis tollit.

Dat. die 12. Mar. 1660. An. V.

Secret. Breve. Ex Regest. in.

Proemium.

Supplicatio.